SACRA RITUUM CONGREGATIONE

Emo, & Rmo Domino

CARDINALI CARACCIOLO

RELATORE

NUCERINA PAGANORUM

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO.

Fundatoris Congregationis SS. Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum

---

NOVISSIMA POSITIO

SUPER VIRTUTIBUS

COMPLECTENS

FACTUM CONCORDATUM

CUM

SUPPLICI LIBELLO

ROMÆ MDCCCVII.

M 26

APUD LAZARINUM REV. CAM. APOST. TYPOGRAPHUM

NUCERINA PAGANORUM

Beatificationis , & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SS. Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum

FACTUM CONCORDATUM

1 VEN. ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO e Neapolitana familia prognatus patricio loco clarissima post immensos labores in operanda animarum salute exantlatos, post congregatam in id Presbyterorum Familiam, cui ab Apostolica Sede *SS. Redemptoris* nomen inditum est, post Agathensem Ecclesiam per tresdecim annos sanctissime gubernatam, tandem senio, laboribus, morbisque confectus in suo Collegio Nuceriæ Paganorum pretiosa morte decessit Cal. Augusti anni MDCCLXXXVII.

2 Tumulus autem, qui Ejus corpus contexit, una tamen nomen, & eximiam Sanctitatis famam obruere nequivit. Hinc factum, ut vix elapso ab illius obitu anno ad tanti Viri gesta formiter inquirenda, tum Episcopus Nuceriæ Paganorum, tum Vicarius Capitularis S. Agathæ Gothorum, vacante Ecclesia, Ordinarias Inquisitiones adornaverint. Hisce ad Urbem perventis, indultaque aperitione *die 7. Decembris* 1793.; sa. me. *Pius VI.* Cardinalem Archinto in Causæ Relatorem elegit *die 9. Julii* 1794. Hac ipsa die idem Pontifex Postulatoribus potestatem fecit, tum proponendi Dubium signandæ Commissionis ante perquisitionem, revisionem, & adprobationem Scriptorum, dummodo ad virtutum examen non procederetur, nisi prius iisdem scriptis revisis, & adprobatis, tum proponendi Dubium ejusdem Commissionis signandæ in Congregatione Ordinaria SS. Rituum absque interventu Consultorum, quamvis decennium ab Inquisitionum præsentatione nondum fuisset elapsum.

3 Post hæc quum Fidei Promotor in dubio signandæ Commissionis objecisset nonnullas variationes, quæ Servo Dei adhuc in humanis agente evenisse asserebantur in regula Congregationis ab ipso institutæ, Pontifex justis de causis animum suum moventibus hujusce rei examen delegavit *die 2. Decembris* 1795. peculiari Congregationi cl. me. Cardinalium Archinto, Livizzani, & Rinuccini; nec non RR. PP. Hieronymi Napulioni Promotoris Fidei, ac Dominici Coppola SS. Rituum Secretarii cum facultate eidem Congregationi imponendi prædicto obstativo perpetuum silentium, si Servi Dei innocentiam plene probatam invenerit. In ea itaque Congregatione habita *die 8. Martii* 1796. in ædibus cl. me. Card. Archinto proposito Dubio = An quæ objiciuntur contra S. Dei de immutatione regularum suæ Congregationis obstent signaturæ Commissionis, vel ulteriori progres-

sui Causæ super Dubio Virtutum in casu, & ad effectum; de quo agitur? eadem Congregatio audito Promotore Fidei, visisque juribus ex utraque parte allatis rescribendum censuit = Negative in omnibus, atque esse imponendum perpetuum silentium, ita ut nec Promotor Fidei, nec ullus alius in Causa suffragaturus in ulteriori Causæ examine supradicto obstativo ullatenus uti possit = cui quidem rescripto Summus Pontifex *die nona* ejusdem mensis, & anni Apostolicæ adprobationis robur adjecit.

4 Præliminari hac quæstione feliciter absoluta, idem cl. me. Card. Archinto in Ordinariis SS. Rituum Comitiis habitis *die* 30. *Aprilis* 1796. Dubium exposuit = *An sit signanda Commissio Introductionis Causæ* = auditoque prius voce, scriptisque Promotore, *affirmative* responsum est. Huic inde sententiæ sa. me. Pius Sextus benigne annuens *die* 4. *Maii* ejusdem anni Commissionem propria manu signavit.

5 Hoc aditu facto, Summus Pontifex præfata *die* 4. *Maii* concessit Remissoriales Litteras dirigendas Episcopo Nuceriæ Paganorum, vel eo impedito ejus Vicario Generali, seu Dignitati, aut Canonico Ecclesiæ Cathedralis Nucerinæ ab eodem Episcopo eligendo ad construendum in præfata Civitate Processum super Cultu Ven. Dei Famulo nunquam exhibito. Ne vero diuturniore mora per Testium interitum probationibus jactura fieret, idem Pontifex præfata *die* 4. *Maii* expediri indulsit alias Remissoriales Litteras ad inchoandum Processum Apostolicum in Civitate, & Diœcesi Nucerina super Virtutibus, & Miraculis in specie dirigendas Episcopo Nucerino ejusque Vicario Generali, & quatuor Dignitatibus, seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Nucerinæ ab eodem Episcopo eligendis, & nominandis, ita tamen, ut vel Episcopus cum Vicario Generali, vel Vicarius cum duabus Dignitatibus, seu Canonicis, vel quatuor Dignitates ipsæ, seu Canonici in quolibet actu simul semper, & conjunctim procederent, & assisterent, cum limitata facultate, ut moris est, examinandi tantum Testes senes, valetudinarios, aut proxime abfuturos intra terminum trium annorum a prædictarum Litterarum præsentatione inchoandum. In id item concessæ fuere eadem *die* 4. *Maii* 1796. Remissoriales Litteræ pro Civitate ac Diœcesi S. Agathæ Gothorum, ut ibi etiam Apostolica auctoritate intra triennium examinarentur Testes senes, valetudinarii, ac cito abfuturi cum clausula, ut Episcopus cum Vicario Generali, vel alter eorum cum duabus Dignitatibus, seu Canonicis, vel quatuor Dignitates, seu Canonici ab ipso Episcopo eligendi, ac nominandi singulis actis conjunctim assisterent. Quæ quidem Litteræ fuerunt inde expeditæ.

6 Quum vero orta fuerit dubitatio an ad conscribenda Acta duo Notarii eligi possent, & an Pro-Vicarius Generalis ea omnia peragere valeret, quæ in Remissorialibus Vicario Generali demandata fueraut; hinc Summus Pontifex *die* 8. *Martii* 1797. peculiaribus inspectis circumstantiis in supplici libello narratis, si quidem privilegio opus fuerit, benigne indulsit, ut ab Apostolicis Delegatis Judicibus, tam in Diœcesi Nucerina Paganorum, quam in alia S. Agathæ Gothorum deputari valerent duo Notarii ad Inquisitionum acta conscribenda, ita ut uno impedito alter in ejus locum subesset; indulsitque, ut Pro-Vicarius Generalis S. Agathæ, donec novus Vicarius eligere-

tur,

tur, ea omnia peragere posset in Processus confectione, quæ a Remissorialibus Litteris Generali Vicario demandabantur.

7 Probationibus ita provisum cum foret, ventum fuit ad perquisitionem Manuscriptorum V.S.D., atque in id expeditæ fuerunt a SS. Rituum Congregatione *die* 5. *Maii* ejusdem anni 1797. Litteræ Particulares Rmo Card. Archiepiscopo Neapolitano, Episcopis S. Agathæ Gothorum, ac Nuceriæ, Archiepiscopo Beneventano, Archiepiscopo Panormitano, Episcopis Schalensi, Melphitano, & Nuscano, necnon Vicariis Capitularibus Bovinensi, Salernitano, & Murano.

8 Interea ad Urbem pervento Processu super cultu Dei Famulo nunquam exhibito, eoque Apostolica facultate indulta *die* 6. præfati mensis Maii in Actis aperto, propositum fuit Dubium in Congregatione Ordinaria diei 16. *Septembris* ejusdem anni; an Sententia lata a Judice Delegato Apostolico super Cultu præfato V. Dei Famulo nunquam exhibito, sive super obedientia præstita Decretis sa. me. *Urbani VIII.* sit confirmanda? responsumque fuit *affirmative*; quam sententiam Pontifici relatam is annueus adprobavit *die* 20. *ejusdem mensis*, & *anni*.

9 Post hæc delegati fuere Judices in Nucerina Diœcesi ad inquirendum de fama Sanctitatis in genere. Hanc vero delegationem SummusPontifex *die* 20. *Septembris* præfati anni 1797. per Remissoriales Litteras fieri mandavit Episcopo Nucerino, ejus Vicario Generali, & quatuor Dignitatibus, seu Canonicis Cathedralis Nuceriæ ab eodem Episcopo nominandis, & eligendis, ita ut vel præfatus Episcopus cum Vicario Generali, vel eorum alter cum duabus Dignitatibus, seu Canonicis, vel quatuor eædem Dignitates, sive Canonici præfatæ Inquisitionis Actis interessent, eamque intra annum absolverent.

10 Præscriptæ legi paritum est. Nam confecta per delegatos Judices Inquisitione, ea ex Apostolica dispensatione *diei* 16. *Decembris* 1797. fuit servatis servandis aperta. Sed hic felix Causæ cursus anteacti temporis vicissitudine interceptus est. At immortalis Pontifex *Pius Sextus* inter gravissimas licet Ecclesiæ curas, & procellæ fluctus in eam tamen mentem descendit, ut hujusce Causæ cursui singulari providentia prospiceret, sapienterque consuleret. Quamquam enim non nisi post absolutam quæstionem de fama Sanctitatis locus esse queat Remissorialibus, & Compulsorialibus Litteris, quibus ampla fit Delegatis Judicibus potestas omnes & quoscumque Testes examinandi, Cadaveris Dei Famuli recognoscendi, Jura compulsandi, complendique Processus, clementissimus tamen Pontifex rescripto suo Florentiæ dato *die* 7. *Decembris* 1798. Judicibus tum Nuceriæ, tum S. Agathæ Delegatis amplam hanc potestatem indulsit. Constituto autem ad id trium annorum termino legem adjecit, ut Inquisitiones postquam fuerint absolutæ in Episcopali Archivo Episcopi sigillis obfirmatæ reponerentur, neque aperirentur, nisi vel a Sanctitate sua, vel a SS. Rituum Congregatione obtenta facultate eas exemplandi, ac ad Urbem mittendi transumpta; & hoc rescriptum loco Remissorialium haberi mandavit.

11 E vivis interim eripitur Agathensis Episcopus, cui & V. S. D. manuscriptorum perquisitio, & constructio Processus Apostolici super Virtutibus, & Miraculis in specie una cum cæteris Conjudicibus fuerat delegata. Quamobrem SANCTITAS VESTRA *die* 7. *Martii* 1801.

1801. benigne indulsit, ut ea in Diœcesi Scriptorum perquisitionem exequi valeret, juxta particulares Litteras una cum instructione R. P. Promotoris Fidei *jam* expeditas, vel Vicarius Capitularis, vel alia persona in Ecclesiastica dignitate constituta ab eodem Vicario nominanda; quoad vero præfatum Processum Apostolicum *eadem die* in defuncti Episcopi locum suffecit eumdem Vicarium Capitularem cum omnibus, & singulis facultatibus in Remissorialibus Litteris, ac Rescripto sa.me. Pii Sexti concessis, etiam nominandi Conjudices, & absolvendi Processus cum eadem clausula, qua Episcopus procedere poterat.

12 Præter illud & aliud obstaculum Scriptorum perquisitionis cursum intercceperat. Obstabat scilicet, quod extrahi nequirent ex Episcopali Tabulario S. Agathæ Gothorum authographa monumenta pertinentia ad erectionem nonnullarum Parœciarum, quæ tanquam authentica jura ibi ad perpetuam memoriam asservabantur, nec non V. S. D. Codicilli, qui item a publico Notario in sua acta relati inter ea originaliter custodiri debebant. Hinc S. V. *die* 22. *Augusti* 1801. benigne indulsit, ut loco originalium insererentur in Processiculos perquisitionis authentica exemplaria eorumdem Scriptorum, dummodo exemplorum collatio coram duobus Testibus in Ecclesiastica Dignitate constitutis per Promotorem Fiscalem Episcopalis Curiæ perageretur.

13 Sed jam Postulatores animum converterant ad absolvendam quæstionem super Fama sanctitatis in genere. Facta itaque facultate die 30. *Januarii* 1802. eam proponendi in Ordinariis Comitiis absque Consultorum interventu, cum Causa per obitum cl. me. Card. Archinto Relatore orbata remansisset, SANCTITAS VESTRA *die* 6. *Martii ejusdem Anni* me in Relatorem elegit, cui etiam potestatem fecit eamdem Causam referendi, sententiamque meam aperiendi in proxima Congregatione, licet prima vice eidem interessem, consueto prius emisso juramento.

14 Quoniam vero, nondum completa in singulis Diœcesibus, in quibus fuerat demandata, perquisitione Scriptorum, processu temporis vel Episcopi Vicariis Capitularibus, quibus erant inscriptæ Litteræ Particulares, vel Vicarii Capitulares Episcopis vita functis successerant; ideo præfata *die* 6. *Martii* 1802. indultum fuit, ut tam Episcopi, quam Vicarii Capitulares subrogati, vel imposterum subrogandi, aut per se, aut per aliam Personam in Ecclesiastica Dignitate constitutam easdem particulares Litteras juxta Rev. P. Promotoris instructionem executioni mandarent.

15 Rebus ita dispositis in Ordinariis Comitiis habitis *die* 27. *Martii* 1802. per me interrogati PP. an constaret de validitate, ac relevantia Processus Apostolici super Fama Sanctitatis, & Miraculorum in genere: *Affirmative* responderunt; quam quidem sententiam S.V. insequenti *die* 3. *Aprilis* ratam habuit, probavitque.

16 Interea temporis absolutæ jam fuerant Apostolicæ Inquisitiones in Diœcesibus Nucerina, & Agathensi super Virtutibus, & Miraculis in specie. Quum vero eædem juxta sa. me. *Pii VI.* Rescriptum absque nova Apostolica facultate exemplari, & ad Urbem transmitti nequirent; hinc *die* 3. *Aprilis* præfati *anni* 1802. eadem facultas a S. V. pro utrisque Diœcesibus facta est.

Dum

17 Dum hæc geruntur Montis Regalis Civitas, intra fines olim Archiepiscopatus Panormitani, ab eo separata fuerat, & ipsa in Archiepiscopatum erecta. Quamobrem *die* 11. *Septembris* 1802. S. V. benignè annuit, ut Litteræ Particulares ad perquirenda V. S. D. Scripta in præfata Civitate Monregalensi, Panormitano, cui tunc suberat, Archiepiscopo directæ, præsentari valerent novo Archiepiscopo Montis Regalis ab eoque executioni mandari.

18 Ad Urbem inde perventis binis Inquisitionibus Apostolicis tum Nuceriæ, tum S. Agathæ constructis super virtutibus, & Miraculis in specie, quarum aperitio indulta fuit *die* 16. *Martii* 1803. perventisque item Processiculis perquisitionis Scriptorum, quum Rmus Cardinalis Saluzzo vice mea retulisset in Ordinariis Comitiis habitis *die* 14. *Maii* ejusdem anni, tum in Operibus V. S. D. impressis, tum in Manuscriptis omnibus Theologico jam examini de more subjectis nihil censura dignum fuisse repertum, Purpurati PP. rescribendum censuerunt = Procedi posse ad ulteriora = quod quidem responsum *die* 18. ejusdem mensis Maii Sanctitati V. relatum robur, & confirmationem obtinuit.

19 Causa felici gressu huc usque perventa ad examen properabat virtutum in specie. Ne vero id fieret illud per *Urbani VIII.* Decreta impedimento erat, quod a V. S. D. obitu, qui accidit *Kal. Augusti* 1787. quinquaginta anni nondum essent elapsi. Sed Sanctitatis V. dispensationis indultum latum *die* 25. *Junii* 1803. hujusmodi diremit obstaculum.

20 Ad examinandam præterea Inquisitionum validitatem processum fuit. Facta enim potestate *die* 30. *Julii* ejusdem *anni* 1803. hujusce proponendæ quæstionis in Ordinariis Comitiis, propositum per me fuit Dubium *die* 17. *Septembris* præfati anni = An constaret de validitate Processuum tam Apostolica, quam Ordinaria auctoritate constructorum &c. ac affirmativum responsum prodiit; de quo S. V. *die* 24. illius mensis certior effecta suam ei adjecit auctoritatem.

21 Allatis postea nonnullis aliis V. S. D. Scriptis, quæ revisioni subjecta non fuerant, illisque a Theologo Revisore a me deputato examinatis, retuli in Ordinariis Comitiis habitis *die* 17. *Septembris* 1803. nihil in iisdem censura dignum fuisse repertum, ac PP. iterum rescribendum censuere = Procedi posse ad ulteriora = quam sententiam *die* 24. illius mensis S. V. benigne annuens confirmavit. Quia vero ad inutilem vitandam molem inter Apostolica acta compulsatæ non fuerant Inquisitiones Ordinariæ ad Urbem jam missæ, eadem S. V. *die* 14. *Decembris* 1803. clementer indulsit, ut hæ perinde haberentur, ac si compulsatæ fuissent.

22 Hisce omnibus rite præhabitis *die* 10. *Junii* 1806. habita fuit in meis ædibus Congregatio, quæ dicitur Antepræparatoria, in qua disputatum primo fuit a Consultoribus de Heroicis V. S. D. Virtutibus.

23 Alterum item de earumdem heroicitate Virtutum examen instauratum fuit in Præparatoriis Comitiis *die* 17. *Februarii* hujus *anni* 1807. coactis in Palatio Apostolico Quirinali.

24 Quæ cum ita sint nil modo superest aliud, nisi ut Congregatio Generalis de eadem Virtutum quæstione coram *Sanctitate Vestra* habeatur. Quocirca sequens propono Dubium jam antea cum Reverendo Patre Promotore Fidei concordatum, quod hac inscribitur forma.

Du-

25 Dubium = *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum, de quo agitur?*

I. D. CARD. CARACCIOLO PONENS

NUCERINA PAGANORUM

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

ALPHONSI MARIAE
DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SS. Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum

SUPPLEX LIBELLUS

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, & Charitate in Deum, & Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum, de quo agitur?

BEATISSIME PATER

1 Si quis vestrum, AA. Judices, forte miretur, me, cujus est in sacris hisce Judiciis Causarum vindicias agere, hodierna die de Virtutibus VEN. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO postremo loco disserentem uti novo quodam dicendi genere, quod a forensi sermone abhorret, ac mutata voluntate, non patroni, sed oratoris partes suscipere; is, si hujusce consilii causam rationemque cognoverit, una & id, quod facio probabit, & optimæ Causæ gratulabitur SACRATISSIMI PRINCIPIS, non dicam indulgentiam, sed jussum, amplum hunc laudis aditum mihi ultro patefecisse. Habita enim *Præparatoria* Consultatione, referente Pontifici eo ipso integerrimo viro, qui censor extitisset, ac ingenue profitente nihil sibi amplius in V. Alphonsi virtutes opponendum superesse, sapientissimus Pontifex pro sua justitia mandavit, ut Causa hæc unis dumtaxat censuris jam in anteactis actionibus una cum nostris vindiciis editis in Generalibus Comitiis definienda proponeretur.

2 Itaque hujusmodi mandato ab eodem egregio Promotore Fidei humanissime pandito, ut illi omnis objiciendi, sic mihi defendendi facultas perempta est; propterea que nobilissima Causa coram amplissimo Senatu Vestro, quin ullo amplius patrocinio indigeat, suo

fulcita

fulcita merito sistit. Rarum certe hoc esse novimus, sed raritas auget pretium. Quo nimirum fit, ut hæc ipsa Causa, tum ceteris ornamentis, tum hocce præsertim præclarissimo, nulli omnino aliæ anteferatur, ei vero paucæ putentur pares. Virtutis quippe splendor ita per sese micat, ut nullis omnino nubeculis obtenebrari, vel minui umquam possit; & si quas olim veritatis inquirendæ studium obduxit, præteritæ vindiciæ penitus depulere. Quid enim tanta illa, tamque unanimis in extollendis Ligorii Virtutibus doctissimorum Suffragatorum vel in ipso primo examine declarata voluntas, conspiratio, consensio? (a) Quid tanta religiosissimi Censoris ingenii liberalitas, tantusque animi candor, ut eo potissimum interprete Pontifex Maximus suetam contentionem fori interceperit? Quid tanta optimi ipsius Pontificis humanitas, ut Causam hanc ab Animadversionum lege omnibus omnino indicta in Comitiis coram se habendis exemptam non modo dixerit, sed imo præceperit? Quid, inquam, hæc sibi volunt aliud, quam nos laborum nostrorum fructum fuisse jam plene, cumulateque assecutos? Quid, quam hæsitationem omnem a sapientissimis singulorum Suffragatorum animis fuisse prorsus ablatam?

3 Quæ cum ita sint, rogo obtestorque Cardinales Amplissimos, ut in tanta hodierni Judicii luce concordi Consultorum sententiæ inhærentes eorum plausibus suos item adjungant. Te vero PIE PONTIFEX MAXIME humillime demisseque deprecor, ut hanc Virtutum quæstionem tam fausto omine inceptam, tamque felici successu, Te auspice, huc usque adductam gravissimo Decreto Tuo tandem absolvas, quo Venerabilem ALPHONSUM MARIAM DE LIGORIO Christianum Heroem declarans ad *duorum* Miraculorum examen, quotquot in Causa *directis* probationibus instructa requiruntur, aditum patefacias. Id profecto postulant præclara, & innumera tanti Viri in Ecclesiam promerita. Id præstolatur inclyta Presbyterorum familia *SS. Redemptoris* ad evangelizandum pauperibus a Ligorio congregata, in quorum omnium voce adhuc evangelica Fundatoris vox sita est, & in quibus adhuc ipse animarum salutem operatur, adhuc vivit, adhuc spiritum ducit. Id denique vigilantissimus Causæ Postulator *P. Vincentius Antonius Giattini* ab eximia clementia Tua fervidis, enixisque votis efflagitat,

Quare &c.

Hyacinthus Amicius

REVISA

A. Gardellini Sub-Promotor Fidei

(a) *Teste nova Animadversione* §. 1.

[illegible]